

Tridentini expurgare curaverit a mendis Scripturam Sacram, eamque sic emendam typis dari iusserit, indicto præcepto sub pena excommunicationis, ut ab Ecclesia Univerfa pro authentica haberetur. Deinceps subnectunt eam exposuisse sub titulo vulgatæ editionis ab omni mendo puræ, quando a pluribus Catholicis viris adhuc plurimis scateat mendis demonstratum fit, Propterea factum est, ut Clemens VIII. aliam emendatorem impressionem excudi mandaverit.

Scite dicta res est. Sed ubi cubet hic error Sixti Pontificis, latet omnino. Ipse præbuit vulgatam editionem Scripturæ Sacræ incorruptam, & immaculatam, in sensu verborum, qui ad fidem, & mores spectat. Præcepit ut ab omnibus pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat, vel presumat; ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 4. Declaravit Sixtus V. impressionem prodire, quam nunc pro ut optime fieri potuit, emendam; Adeoque cæteris latinis editionibus, vel versionibus antependendam esse. Neque unquam contendit, a levioribus usque mendis ita purgatam fuisse, ut successor Clemens VIII. non potuerit iuxta fas editionem correctiorem adornare. Igitur Sixtus V. in errore nullatenus impigrit. Egre tulerunt hæretici, fuisse profusam intemeratam, & authenticam Scripturæ Sacræ editionem, iisque ademptam viam saltitandi nunc ad textum Hebraicum, nunc ad textum Græcum, nunc ad alias versiones, ut falsitates suas importune obtegerent. Qua de causa, ut accuratæ vulgatæ editioni callide occurrerent, alias versiones moliti sunt, & omnia susceque everterunt. Hinc propriam culpam, suamque errorem in Sixtum V. Pontificem Maximum per summam audaciam detorqueere non omittunt.

§. XXV.

Cum infallibilitate pugnat posse errare in facto dogmatico.

Absolutis vindictis Romanorum Pontificum quos exagitare non desunt adversarii, ut infallibilitatem ab eorum judiciis ex Cathedra editis convellant; ad alias objectiones solvendas necesse est convolare. Neque pigeat plurium Pontificum meminisse, quos criminari non desunt, quia unum vel alterum præterire, ipsorum iudicio, est cedere pugna, ex defecta validæ tuitionis, qua ab inuito errore eripi possint.

Obijciunt igitur Papam errare posse, & erravisse in facto dogmatico. Recens Scripator non detrectat hoc assertum admittere, hac usus distinctione, ut possit quidem errare in facto, nequam in jure, eidem connexo. Sed imaginaria profus est hæc distinctio, si in re, non autem in logico sensu factum dogmaticum consideremus, ut par est. Hujusmodi factum compellat factum mixtum cum jure, hoc est cum dogmate fidei, adeo inseparabiliter connexum, ut iudicium tangens factum nullatenus a jure præcindere valeat. In scriptis dogmaticis planum est exemplum, puta in epistola Iba ad Marim Persam; In libro Cornelii Janfenii de gratia Salvatoris, & his similibus. De hujusmodi scriptis quaestum fuit, an hæreses, an sensus obvius, an sensus ab auctore intentus ad hæresim docendam, contingerent. Ubinam excogitare licet, factum hujusmodi esse a dogmate separabile, ut errare quis possit in facto iudicando, quin fallatur, & fallat in jure? Quæstio non erat, an Iba con-

scripserit Epistolam, an Janfenius librum composuerit, quod facti simpliciter est nota. Sed inquirebatur, an error, an hæresis, an sensus improbus, nec ne in illis lateret. Ergo errare in hoc facto, est profus errare in dogmate.

Parum immorari placet in allato exemplo disputationis super Epistola Iba ad Marim Persam, & iterum eloque circa ea, quæ occasione V. Synodi adeo acerbis implicantur molestiis Vigilium Papam. Historia jam patet ex dictis superioribus. Plura facta dogmatica sese objiciebant menti Vigilii. I. Quod Epistola Iba fuerit lecta in Concilio Chalcedonensi, & absque censura dimissa, quemadmodum absque examine. II. Quod Episcopi Occidentales, præcipue Africani, & Istriæ minabantur a Communionem Vigilii secedere, si quidquam consentiret in aliquam condemnationem, non intentatam a Concilio Chalcedonensi, rari, non esse opus tanto Concilio vel in apice detrahere; imo torum conatum hæreticorum fuisse, ad condemnationem trium Capitulorum urgere. III. Quod Episcopi Orientales probe conscii, arte hæreticorum fuisse disseminata scripta trium Capitulorum, ut minus cautis propinarent profligata hæresis virus, perurgebant Imperatorem, compellebant Vigilium, ut condemnationi subscriberet. Ad has incitas redactis Vigilium, quo se verteret, fluctuabat, instante periculo five in Scyllam, five in Charybdim incidendi. Propterea enixe postulabat, ut plenarium cogereetur (1) Concilium in partibus occidentis, vel saltem Episcoporum occidentalium sollicitarentur in scriptis sententiæ. In hac re Vigilium nec in facto, nec in dogmate erravit. Si erravisset in facto, utique in jure quoque errare debuisset; ex necessaria connexionem inter utrumque. Refugiens Vigilium condemnare tria Capitula, non proinde ea probabat; sed ne Schisma in Ecclesia Occidentali constaretur, provide censebat vestigiis Chalcedonensis Concilii insistere, donec Episcopi Occidentales suam dicerent sententiam.

Distinxerunt equidem Janfenianæ hæresis fautores, in facto dogmatico, factum a jure, proferentes obedientiam juri, reverentiam facto. Ast male parta distinctio suo in ortu confossa est, & Alexandri VII. & Clementis XI. anathematis gladio. Quid est obedire juri, nequam facto, nisi utrumque a debito obedientiæ depellere? Jus enim frequenter ex facto oritur, adeo ut uno deficiente, alterum diffuere necesse sit. Qua ergo ratione ex orco iterum reviviscit ad detrahendum Romano Pontifici, quasi cum privilegio infallibilitatis possit in facto dogmatico errare, errore scilicet facti, non juris? Pugnancia nimium hæc sunt, ut possint quocumque studio copulari. Alias nequidem tota Ecclesia posset certum sensum in Sacra Scriptura deprehendere, si ad sensum loquentis Dei firmiter nequiret attendere, eundemque statuere.

Eusebius Nicomediensis cum Theognio Nicæo ad depellendam, vel potius palliendam hæresim in Ario impio auctore, (2) libellum primo protulit; dicens: non abnuere in condemnationem erroris venire, dummodo exciperetur ipse Arius ab hæreseos nota, cum prope sciret ex scriptis, & sermone ejusdem, profus Arii mentem alienam esse ab impacta hæresi. Hæc fuit distinctio juris, & facti, qua abutens Eusebius in defensionem Arianae hæresis fucum facere moliebatur, ut inde, salvo auctore, impia quoque doctrina impune grassaretur. Ex quo evincere necesse est, nunquam satis profligatum iri errorem, si in facto dogmatico distinctio juris, & facti admitteretur,

(1) Noti. in disert. Quintæ Synod. (2) Inter fragm. Concil. Nicæn. apud Binium.

tur, ut Papa in uno vel altero fallere posset. Eandem fraudem adoptant illi, qui in facto Janfeniano contendunt, errare posse Pontificem.

§. XXVI.

Alia excogitata distinctio inter Pontificem, & Sedem Apostolicam dirimitur.

Multifariam loquuntur adversarii, quum de Pontifice, de Cathedra, aut de Sede Apostolica, vel de Ecclesia Romana differunt. Sedem seu Cathedram Petri dividunt a sedente in ea, ut alibi innuimus. Illam immutabilem, & immaculatam esse affirmant, quia dicunt nominare, non quidem Pontificem hic, & nunc sedentem, sed successionem indefectibilem Romanorum Pontificum. Ex quo licet unum, vel alterum contingat errore ob defectum infallibilitatis personalis, impossibile tamen est, quod tota successio deficiat. Ita quippe suaviter a divina providentia est dispositum, Spiritu Sancto affante, ut si unus errabit, alter ex successoribus emendabit errorem, & veritatem redintegret. Quod manifestum fieri, autumat, quia alias Sede vacante oraculum fidei vivum ab Ecclesia abesse, opus esset affirmare; Ecclesiamque ipsam posse in fide periclitari. Hæc summa opinionis quorundam, qui dimisso pondere traditioni proprio mentis acumini toti se dedunt.

Sedem diximus, five Cathedram separari a Pontifice Romano, quia hic non illa labili cedit natura, & occumbit, five Sedes intelligatur pro passiva locali residentia, five pro dignitate, & jurisdictione Papali ad hierarchicum ordinem spectante, illumque inchoante. Si vero pro successione Episcoporum Orbis, ipsa Sedes vel Cathedra habeatur, ut innuit Theologus arguens, admodum difficile est, ne dicam absurdum, persuadere, quod Sedes a Romano Pontifice separari, aut distingui possit, ne cogamus dicere Romanos Pontifices a serie Romanorum Pontificum secerari debere.

Attamen delectamus hoc absurdum. Unde traditionis caput auspicabimur, qua successioni Romanorum Pontificum, non autem Petro, & nominatim uni post alterum ex successoribus, collatum non fuerit a Christo infallibilitatis privilegium? Ubi est illa idealis successio indeficientis magisterii, si unus, & alter, & alter a primo usque ad postremum falli, & fallere possunt? Quis erit ille constitutus Pastor, Doctor, & Magister Universalis Ecclesiæ, cui cæteros confirmare incumbet, si singuli Pontifices alteri, & alteri succedentes eodem laborant defectu errandi, & alios in errorem trahendi? Ille qui dicitur a Spiritu Sancto delectus, ut prædecessoris errorem corrigat, & emendet, est ne infallibilitatis dono munitus, vel fallibilis, ut cæteri habentur? Si fallibilis est, ubi producitur testis five ex Scriptura Sacra, five ex Patrum traditione, qui fidem a nota temeritatis vindicet, ostendendo in serie Romanorum Pontificum adesse Pontificem adhuc fallibilem, sed certissime emendam, & corrigentem prædecessorum errores? Si vero hic Pontifex selectus in præfata serie, & a Spiritu Sancto affatus ad corrigenda præcedentium errata, est infallibilis; Ostendatur quoque necesse est, unde hic, vel ille Papa inter plures hoc privilegio sit donatus; quum neque Evangelium, neque Vetus Testamentum, neque Patrum traditio id vel leviter prodant.

Constat quidem a Christo fuisse Petrum insti-

tutum Pastorem omnium, & singulorum, nemine excepto. Constat Pastorale Ministerium in id intendere, ut doceat, & sanctificet. Constata hanc dignitatem, & Ministerium Pastorale a Petro derivari in omnes, & singulos successores, qui Christi in terris locum tenent, & totius corporis visibilis Ecclesiæ caput visibile sunt, sub Christo, qui est caput, & triumphantis, & militantis Ecclesiæ; illius visibile, hujus invisibile. Constant hæc, & alia plura ex prædictis fundamentis hujus dissertationis, tam divini eloqui, quam haud interruptæ Patrum traditionis, quibus ex acuminem ingenii refragari, idem est, hac hariolari, vel ludere.

Moritur Pontifex, ajunt, & suo fato cedit. Labascet ergo fides Ecclesiæ absque suo infallibili interprete, Doctore, & magistro? Respondeat doctissimus Episcopus Cano, cui submittere fasces, neque indignum, neque indecorum est accipiendum: (1) *Mortuo autem, inquit, Summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, & manet in eo spiritus veritatis, sed manca, & diminuta sine Christi Vicario, & Ecclesia uno Pastore relinquatur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit, at si controversæ fidei, & religionis orientur, Ecclesia judicet, sine capite in terris, non adeo certa erunt.* Expedita responso.

§. XXVII.

Aliud argumentum de infallibilitate Ecclesiæ particularis Romanæ præoccupatur.

Alii ut detrahant infallibilitati Romani Pontificis, conspirant potius ut concedant infallibilitatis privilegium Ecclesiæ Romanæ, sub ea notione, qua particularis Ecclesia est. Quo fundamento, quo teste, nullibi legitur. Arguant itaque Ecclesiam specialem Romanam, ut immaculatam, ut incorruptam a Patribus laudari; Matrem, & matricem cæterarum Ecclesiarum appellari; centrum unitatis, depositum incontaminatæ traditionis dici, & ab omnibus haberi. Ubi majores infallibilitatis notæ unquam reperiri poterunt, quam in Ecclesia Romana? Subinfernunt deinde cetera hujusmodi Scriptores, inter se tamen discordes; siquidem alii expedite affirmant, Pontificem Romanum, se solo, esse fallibilem; si vero cum Ecclesia sua Romana de fide definiat infallibilem evadere: Alii e contra infallibilem Pontificem Romanum dicere non dubitant, sed accedente Ecclesiæ Romanæ consensu: Placetque toti populo Ecclesiam hanc constituenti, proprio Marte, sufficere Clerum Romanum, & postremo ipso Clero substituere S. R. E. Cardinales, juxta morem præsentis ætatis. Neque his contenti, ut etiam Doctrinam de infallibili judicio fidei, quo nil sanctius est, ad novitatem ritus deducant, plures innectunt clausulas, nempe quod Papa præmissis consilio, & maturo examine rei definiendæ, indictis precibus ad postulantium Spiritus Sancti assistum, pronuntiet sententiam, servatis formulis Curie Romanæ, quibus impletis accedente consensu Cardinalium representantium Ecclesiam Romanam, infallibile profus evadet iudicium.

Si vel pueris concessum esse discere super his gerris, putidam opinionem execrarentur. Ecclesia specialis Romana tot encomiis a Sanctis Patribus celebrata sat sibi est, quin suco ex novitate ingenii novo donetur infallibilitatis privilegio, ab ipsa suo communicando Pastori. Ut alibi jam dictum est, nullum est adinvenire Christi oraculum, quo pacendi, & docendi munus Ecclesiæ spe-

(1) De loc. Theol. l. 4. c. ult.

speciali Romanæ demandatum scribatur. Petro dictum est: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos.* Petro dictum est: *Confirma fratres tuos.* Petro data sunt Claves Regni Cælorum. Idcirco Petro datum est ministerium auctoritatis, & potestatis regendi, docendi, iudicandi; & super Ecclesiam hanc Romanam, & super Ecclesiam Universam, ac ubique, ubi sunt agni, ubi sunt oves. In his Christi oraculis ne verbum quidem legitur, quod vel violenter ad Ecclesiam specialem Romanam trahi possit.

Neque excogitandum est, tunc in Petro Ecclesiam hanc particularem Romanam representatam fuisse; Quia tunc Petrus institutus Summus Pontifex a Christo, neque erat Episcopus Romæ, neque proxime accingendus. Constat etenim Petrum prius sedisse Antiochiæ, quam Romæ. Porro si Petrus Antiochiæ usque ad mortem sedisset, procul dubio encomiis, & privilegiis Roma caruisset, & iis Antiochia etiam nuac potiretur. Quorsum hæc? Nisi ut sole clarius pateat, ex sola sessione Petri Romam translata, & ex privilegiis tantum Petri Ecclesiam Romanam præ cæteris celebriorem a Sanctis Patribus prædicari.

Si hæc ita sunt, Evangelio nos docens, qui ferri potest, ut successore Petri, sedens in Sede Petri, ornatus privilegiis Petri, infallibilitatem iudicii a suis Romanis ovibus mutuatur, & a Romanorum consensu in certitudine fidei dependeat? Unde textus, unde testis, unde traditio? Omnia silent. Probat istiusmodi Scriptores, Ecclesiam Romanam quidquam unquam decrevisse de fide. Probat, referentes causas fidei ad Ecclesiam Romanam, unquam ab illa definitiva reportasse responsa. Probat tandem, ad Ecclesiam particularem Romanam consurgisse aliquem per illud temporis spatium, 70. scilicet annorum, quo Pontifices Romani Avenione federint. Nemo hiscet. Argumento igitur est, a Pontifice responsa, & sententias dari, & ad Pontificem cuncta referri, quin Ecclesia particularis Romana, sive accepta pro toto populo, sive pro Clero, sive latius, ut aliis placet, suburbicariis, vel Italis Episcopis sumpta, quidquam ad infallibilitatem constituendam optulerit.

Neque ut consensum conferret, unquam exelavit Pontificia infallibilitas Ecclesiam Romanam. Evidenter id ostendam. Orta hæresi Eutyriana, scripsit S. Leo Epistolam dogmaticam ad S. Flavianum Constantinopolis Episcopum, per quam prolifigata impia hæresi, præclare, ac nitide contra illam firmata legebatur fides Catholica. Uno verbo: Hæc epistola fuit basis, & inconcussum fundamentum Concilii plenarii Chalcedonensis. Nunc a vitiligatoribus adversariis exposito: Quid, vel quem consensum impendit unquam Ecclesia Romana, quomodolibet accepta, ad infallibilem doctrinam hujus epistolæ? A nemine id proditur. Non potuit esse consultationis factus, quia S. Leo sapientia prætabat omnibus Romanis, & Italis, pluresque Episcopos per suas litteras decretales docuit consultus, quin indigeret ab aliis doceri. Neque potuit Ecclesia Romana particularis suum consensum præstare laudatæ Epistolæ S. Leonis, quia nullibi legitur eam fuisse prius Romæ publicatam, quam Constantinopoli, & Chalcedone, ubi hæc celeberrima epistola recepta fuit, perinde ut oraculum S. Petri per Leonem loquentis. Igitur vel epistola dogmatica S. Leonis, utpote destituta consensu Ecclesie Romanæ, erat incerta fidei, vel non. Si primum, falsi convincuntur ii, qui in oriente, ut fidei caput, illam habuerunt. Si secundum, insulse, & inepte

blaterant illi, qui ad infallibilitatis Pontificie apicem expostulant Ecclesie Romanæ particularis consensum. Si quis est stomachus, qui grandia hæc absurda patiatur, deglutiat.

Non ignoro adversariorum effugium, quo proclamant epistolam dogmaticam Sancti Leonis, fuisse Chalcedonensi Synodo oblatam, ut prævio examine probaretur consona, & coherens Sanctorum Patrum sententiis. Verum cavillationem sapit fuggetio. In secunda actione laudatæ Synodi, pars major Episcoporum se subscripsisse sateret Epistolæ Magni Leonis. Alii nonnulli inducias petiere, ut omnis eorum dubietas dissiparetur. Data sunt inducie petite, ea jussione, ut conveniret Patriarcham Anatolium, & qui dubitant, doceantur. Mox edocti, & ipsi subscriperunt, conclamando cum cæteris: *sicut Leo, sic credimus.* Itaque ad discendum est totum examen impemum super Leonis epistola; nequitiam ad iudicandum, multo minus ad constituendam infallibilitatem dogmatis, quam ab auctore Leone jam acceperat. Sed de his alibi.

§. XXVIII.

Idem argumentum quoad aliam partem de requisto Cardinalium consensu producit, & prælocatur.

Novitas opinionis, quæ in limine præfocatur auctoris intentum, & dictum, ad cavillandum inducenda plane cognoscitur. Hujusmodi est illa, de qua in præfatiorem est sermo. Etenim dum agitur de infallibilitate Romani Pontificis, & pro illa se stare pronuntiat, eandem enervat, elevat, abolet. Quid est esse infallibilem, accedente Cardinalium consensu, nisi esse Romanum Pontificem se ipso fallibilem? Si ita est, ut lipsis etiam patet; quid est liberum, seu dissertationem inscribere: *de Romano Pontifice in serendo de fide moribusque iudicio falli, & fallere nescio, nisi specie veri mendacium infuscare, lectoribus facum facere, discipulis frustrari, & Pontificie dignitati illudere?* Itane agendum est cum Successore Petri, *cujus Vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est, & amandus*, (1) ut scite scribebant ad Hilarum PP. Hispanorum Episcopi? Deus meliora.

In limine hic modernus Scriptor, inquit: *Num Pontifex sententiam aliquam, in materia fidei, & morum, ex Cathedra, seu ex tribunali, solenni ritu pronuntians, servatisque debitis juris formulis, hoc est suis primum ad veritatis spiritum advocandum solennibus precibus, præmissis serio rei totius examine, præhabita a consultatione Ecclesie sue Romana, intra Urbis ambitum constituta, seu ut præsens habet usus, adhibitis ad consultationem E. E. Cardinalis, qui Romanum hodie Clerum constituunt, Utrum, inquam, vel sic possit Pontifex in errore prolabi, falsumque iudicio statuere, definire, atque decernere, dum Ecclesiam universam edita Constitutione docet, instruit, & informat.* Deinde præfinit: *Romanos Pontifices e Sacro Tribunali solenniter pronuntiantes, hoc est, præhabita Ecclesia intra Urbis ambitum constituta consultatione (seu ut præsens habet usus adhibitis ad Consultationem E. E. Cardinalibus, qui Romanum hodie Clerum constituunt) in causa fidei iudicantes, errare omnino non posse.* Mox adjicit. *Si de Pontifice, nulla sedis, Ecclesieque sue habita consultatione, nullo illius accedente consensu, disputarent (adversarii); haud ægre concederent, illa duo coherere posse, Pontificem errantem, & Sedem Apostolicam, seu*

seu Romanam Ecclesiam, in fide perseverantem. Rursus addit. *Porro consulta creditur Apostolica Sedes, consulta Ecclesia Romana, dum Eminentiissimi Patres, qui Romanum Clerum hodie constituunt, cæterisque Presules in consilium adhibiti, assensumque dedere solenniter, & ex formula, Cum in Sede Apostolica, Romanamque Ecclesiam representent, sineque ipsamet Ecclesia Romana docens, iudicans, & pronuntians.* Tandem usque ad nauseam recoquit, & repetit. *Pontificem esse infallibilem accedente Ecclesie sue (hoc est Cardinalium) assensu.* Et quia sæpe repetit de formulis servandis, notanda est explicatio, ubi dicit. *Pontifices enim volumus falli nescios, ubi dicitur ex Cathedra, ut loquuntur, seu e Sacro Tribunali servatisque Fori Romani formulis sententiam dicunt, pro conditione Pontificis Maximi.*

Itaque Romachum movet tanta audacia, quum velit hic Scriptor certas leges Pontifici Romano circumscribere, usque ad debitum servandi formulas Fori Romani. Quod solenniter, & e sacro Tribunali pronuntiat. Quod consulti Cardinales, & Præsules dent, solenniter, & ex formula assensum suum, sub interminatione infallibilitatis delendæ, si quidquam infelix Pontifex prætergrediatur. Quando nihil hæcenus neque Generale Concilium ad hæc monenda cogitaverit; Sed semper liberum fuit Romano Pontifici, sive per decretum, sive per Epistolam, sive per Bullam iudicium finire. Consiliarios advocat Cardinales, tanquam nunc Clero Romano suffectos, deinde sui oblitus, etiam cæteros Præsules compellat. Incite Clerum Romanum cogit extingui, cujus quot annis adhuc eligitur caput illi prædens, & lata lege Cardinales substituit. Quis unquam hæc feret? Pudet singula prosequi. Potiora expendamus.

Præces ad advocandum Spiritum Sanctum non refugit Pontifex Romanus, qui jugiter pro munere suo, & officio est mediator inter Deum, & populum, ut sibi, & ovibus suis recte prospiciat. Neque hujus meminisse oportuit, quasi periculum oblivionis immineret. Sed quoad Consulentes fallitur hic Scriptor. Vidimus a nemine probatum iri, S. Leonem M. Consulentes advocasse, ut de consilio Epistolam dogmaticam ad Flavianum exararet. Proclive est credere Sanctum Gregorium M. cujus sapientiam jam probe novimus, decretales suas edidisse, nullo consulente. Si quis alius Pontifex superioris sapientia per se se res dubias evolveret, & serio examine discerret, qua fronte audebit quispiam de fallibilitate excipere, si ex Cathedra definitur?

Nullus est Romanus Pontifex, qui oportuit, & quum oportet, aut neglexit, aut negligit peritorum consilium in rebus arduis; Olim ex Clero assumendo Consiliarios, vel cogendo Concilium ex finitimis Italis Episcopis, ac tandem ex Sacro S. R. E. Cardinalium Collegio, quibus apprimè communicata est scientia ab alto. Verum non necessario consequitur, ita a moderno legislatore arctari posse Pontificem, ut si aliter, prudentia, & sapientia suadente, dispoferit, statim exciderit infallibilitatis privilegio. Quid quod velit hic scriptor, advocandos esse Cardinales pro consultatione, tanquam Ecclesiam Romanam, loco Cleri, representantes, qui prominde sunt, una cum Pontifice, ipsa Ecclesia Romana docens, iudicans, & pronuntians? Nonne est re, verboque ludere, quam asseritur, Consulentes, & Iudicem una simul sententiam dicere? In quo Foro hæc leguntur, a quo Jure hæc produntur?

Neque hic silit novitatis furor? Cardinales ad consulendum vocantur. Cum Papa iudicium ferunt; deinde accedente eorum assensu inconcussè firmatur. Lepidus ne est hic sermo? Labat sententia Cardinalium, nisi posteriori assensu roborata fuerit, quasi iudicando, sine sensu, & ratione pronuntiant. Rursus Cardinales dum consulunt sunt fallibiles; quum pronuntiant cum Papa sunt fallibiles; quando vero accedunt assensu suo, infallibilitatem complent, atque perficiunt. Perverissimus ordo! Iterum hic querimus: in quo textu S. Scriptura, in qua parte traditionis legere sit, quod Papa sit infallibilis accedente Cardinalium assensu. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, inquit Christus Dominus, explicatque dicitur S. Leo M. hæc verba: (1) *Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, que antea Legit, & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sue, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hanc enim in consorium individue unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, ut æterni templi edificatio mirabili munere gratie Dei in Petri soliditate consisteret; hæc Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec potentia inferi inferi valerent. Verum hanc petre istius sacratissimam firmitatem, domino, ut diximus, edificante, constructam, nimis impia vult presumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit a veteribus, non sequendo.*

Sed quomodo Ecclesia particularis Romana dicitur vero elogio Mater, & Magistra cæterarum Ecclesiarum, veritatis, & traditionis fons, & interpres, si ad infallibilitatem iudicii ex Cathedra nihil conferre existimatur? Respondendo, Ecclesiam Romanam omnium honorum titulis insigniri, & gaudere, quia a summo Pontifice intelligitur, in eam derivare dignitatis splendorem; ut alibi luculenter ostendimus. Cur aptem sæpe a Patribus, ab ipsismet Pontificibus, & a Generalibus Conciliis, non ipse Pontifex, sed vel sedes, vel Ecclesia Romana compelleretur; idcirco est, quia Pontifex vita decedit, Ecclesia vero vel Sedes Romana mortis est experta. Propterea quoties scripta Romam pervenerint referenda Pontifici, jam et vivis sublato, successor per sua rescripta rem pro suo munere absolvit; quin Ecclesia Romana in expediendis quibusque rebus se immisceat. Dicitur etiam Ecclesia Romana custos intemeratæ traditionis, quia compertum est, suis consiliis præsto semper fuisse summo Pontifici in rebus dubiis, & arduis, ut testatus est Stanislaus Høsius dicens: (2) *Habet ille Summus Pontifex, sicut Cyprianus loquitur, florentissimum Clerum suum una presidentem, singulari doctrina præstantem: de cujus consilio, si quid gravioribus de rebus, præsertim de fidei causis, docerent, habi, & errare non potest.* Eminent inter omnes, & doctrina, & pietate, & prudentia, & experientia, nedum dignitate amplissimi Cardina-

(1) In Concil. Taracoen.

(1) Ep. 89. ad Ep. Viennen. (2) in Confess. fid. c. 28.

nales, quibus apprime incumbit studio, & labore vires impendere, & super impendere, ut Pastoralis sollicitudo excelsi capitis in omnes se explicet, & salva testis Religio, fides, & disciplina servetur.

Sed quid hæc ad necessitatem accessuri assensus, ut infallibilitas Pontificia sua gaudeat perfectione? Repellunt amplissimi Cardinales munus adeo inauditum; contemnunt hanc nefariam oblationem; dirisque devovent morosos auctores. Petrum venerantur, ut Pastorem Unum Universalis Ecclesie, sciuntque Petro, non Joanni, non Andrea, aut aliis commissam fuisse curam pascendi, & docendi cunctas oves, & agnos. Spectat autem ad rectum munus docendi omnes, nemine excepto, ut divina adfidente gratia specialiter Pontifex Romanus afflatus veritates doceat, atque definiat; alias minime fuisset satis provivum a Christo suæ Ecclesie, quia errante Supremo Pastore, errare quoque ipsam Ecclesiam nãcessè foret. Norunt amplissimi Cardinales successorem Petri esse Romanum Pontificem, eique successoris Jure debent omnia privilegia Petri, quæ Pastorale perficiunt officium, cujusmodi est infallibilitas iudicii ex Cathedra. Ipsi quoque subesse se agnoscunt, ut oves, ut agni, quibus incumbit regi, doceri, & obedire. Accedunt quidem ad Pontificias definitiones, ut par est, assensu obedientiæ, sed non assensu, qui pondus præbeat infallibilitati, vel quidquam ponderis conferat; Quo se fallibiles agnoscant, atque adeo impares ad iudicium Pontificio iudicio indeficientiæ robur. Qui aliter sapit, desipit, & amplissimum Cardinalium Collegium maledictis incessit, & onerat. Finem imponat Leo IX. in hæc verba expendens illud Christi: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (1) *Erit ergo, inquit, quisquam tanta demeritis qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per Successores suos, reprobata, & convulsa, atque expugnata sunt omnium hereticorum commenta, & fratrum corda in Fide Petri, que hæcenus nec defecit, neque usque in finem deficiet, sunt confirmata...? Quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus eius, totius Ecclesie disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens, ducit, & reducit ostium, sic Petrus, & sui Successores liberum de omni Ecclesia habent iudicium; cum nemo debeat eorum dimovere statum; quia summa sedes a nemine iudicatur. Unde Clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cetera moventur, vicinius adherentes. Utique adherentes, neutriquam iudices, aut infallibilitatem iudicii Pontificii per assensum conficientes.*

§. XXX.

Alia absurda deteguntur, & eliduntur.

Absurda horrorem præferentia allaturus, quibus moderni refractarii implicuntur, animum respondeo: posse enim singula expendere, difficultum est, quia & plurima, & ambagibus impleta se offerunt. Ut iudicio Pontificio ex Cathedra lato ab Clemente XI. adversus Quæsnellii editas propositiones, propudiosas affricarent contumelias, omnem excogitarunt viam, ad elevandam infallibilitatis vim, & decus. Quemadmodum coluber, ut aggredientis robur effugiat, quaqua verum involvitur, donec exasperatus capta fovea evanescat. Audiamus quid eructaverint.

(1) ad Michael Patriarch. Const. & Leonem Acridanum episc. 1. cap. 1. (2) Spond. ad an. 419. num. 5. (3) l. 4. ad Bonif. cap. ult. (4) l. 1. de Univ. Eccl.

sectatores, alioque aliud Concilium poscentes, scribebat S. Gelasius: (1) *Nam si limitibus etiam præfixis postarum semel Synodali regularum, non cessant elisa pestes vesumpsi certaminibus contra fundamentum sese veritatis avolvere, & simplicia queque corda percutere: quid fiet, si ubinde fas esset perfidis inire Concilium?*

Iisdem profus vestigiis insunt moderni Quæsnellistæ, antiquorum appellantium referentes imaginem. Constitutionem dogmaticam sanctissimi Clementis XI. ex ore Petri loquentis pronuntiantur carpunt, maledictis lacerant, imprecationibus insectantur, execrationibus impetunt, quia Janseianam heresim jugulat; gratiamque sufficientem, qua redditor homo proxime potens operari bonum, aut a malo declinare, in tuto ponit, ut ex damnatis propositionibus plane sit manifestum. Charitatis jura custodit, quin morali bonitas ab opere exulare dici debeat, si peccator, ac prævenire. Spem tuetur incolumem, & si charitate sit destituta, ut peccator illi innixus erigere se possit, & a peccatore cano emergere sagittat. Disciplinam, quam Quæsnellus ad sua deliramenta accommodat, suis præscriptis regulis restituit. Obedientiam redintegrat, quam effranem adversus Superiorum, & maxime sanctæ Sedis præcepta, & decreta, indisciplinatus Quæsnellus designat. Demum, ut verbo cætera complectar, omnia ad fidei, morumque regulam laudatus Clementis Pontifex Maximus sua Constitutione Unigenitus edixit, decrevit, & sanxit; adeo ut totus orbis, universa Ecclesia in suæ debite obedientie argumentum Constitutionem Unigenitus plenissime laudaverit, devotissime amplexa sit, studiosissime probaverit, & religiosissime colerit. Auctoremque suum Clementem XI. ut Pontificem undequaque doctrina, ac fidei propagatione celeberrimum posteritati consecraverit.

Plurimi tamen adhuc sunt, quos tanta integritas urit, tanta veritas excruciat, ut quum de bellare non possint, oppugnant non reformident. Hujusmodi virulentis homines, sicut aspides surdæ obtorantes aures suas, ne audiant summi Pastoris vocem definitentem ex Cathedra, Pontificia detrahunt infallibilitati, Constitutiones Apostolicas convitiis verberant, & nefariam distinant, ac si per Bullam Unigenitus pessundata jaceat Moralis regula regendorum, sanctorumque Patrum traditio, & una cum Verbo divino extorris sit effusa. Hi sunt, qui infallibilitatem iudicii ad placitum nequiter opinantur reducant; nunc consensum requirentes Ecclesie; nunc Conciliare poscentes examen; nunc alterum uniuscujusque Episcopi expectantes iudicium; nunc formulas formi præpostere exigentes; nunc ritum, nunc solemnitatem ex tripode comparantes. Quando Christus paucis edixit: *Pascite meas. Confirma fratres vestros.*

Itaque Refractarii soli sibi sapientes, ab omnibus tanquam agrestibus se subducunt, ut ad infallibilitatem Pontificiam velut ad scopum collimando sagittas intorqueant. Hinc varia augent, & amplificat, mox demunt, & deturbant. Hinc invertunt, & componunt; mox pervertunt, & dissipant; ac si Christus eis indulsit suum Vicarium in terris formare, & deformare, ut liberet. Oh tempora, oh mores, oh quante libertatis exitium! Sed (quod caput est sane lugens Serry Tom. V.

dum) tenent adhuc in complexibus nomen Quæsnelli, quem vident iudicio Sedis Apostolicæ merito penam subisse damnationis. Quis non intelligat simulate dici: Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta; complectimur veritatem, sed Quæsnello impendimus vota? Consimilibus verbis scribebat (2) Hormisdas Pontifex ad Justinum Imperatorem de Constantinopolitanis, qui favebant Acacio, & scire pro sancta Sede falso protestabantur. Repetam pro corronide verba doctissimi Magistri Cano: (3) *Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesie ac perniciem asserere, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinaque auctoritate succedere, aut certe asserunt summum Ecclesie Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei iudicio posse. Verumque scilicet heretici faciunt. Qui vero illi in utroque repugnant, hi in Ecclesia Catholici habentur. Quamobrem non quidem intelligo, quoniam consilio fideles quidam, hereticorum, quam Catholicorum opinionibus favere malint. Nam heretici, videlicet, quid sequuntur; nempe vitendi, docendique licentiam, & in his omnibus impunitatem. Volunt sine capite corpus, ut neque pes, neque mens suum officium faciant. Volunt, suis Pastore uno, oves, ut cum lupi ipsi sint, pastores tamen esse videantur. Volunt sine iudice lites, ut dissidiorum nullus finis sit; atque ita cum amoto arbitrio adversus doctos dimicant, victores a turba iudicentur. Turbari enim omnes volumus, quoniam, ut in Hispanorum proverbio est, Turbatum summen, piscatorum est lucrum. Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur. Tuto enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Proterquam quod ea sentiant, que sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant: Pontificum decreta finiant. Veterum sanctorum chorus concinit: Conciliorum Patres affirmant: Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesie usus observat. Hactenus Cano; & omnino sic res se habet.*

§. XXX.

Argumentum de retractabili iudicio Romani Pontificis per Concilium Generale prostermitur.

Irruunt adversarii, quasi ovantes de Victoria parta, quum infallibilitatem Pontificiam in iudicium postremum Universalis Concilii resolvere conantur. Sibi confidentissime persuadent plurimas definitiones ex Cathedra Papæ, per Concilia Generalia fuisse prius ferio, ac diligenti examine discussas, deinde per Patres unanimi suffragio probatas, & acceptas, firmitatem nactas esse, & infallibilitatis veluti sigillum acceptum a Concilio habuisse. Exempla exhibent in sententia Celestini I. adversus Nestorium lata, discussa in prima Ephesina Synodo: In epistola dogmatica S. Leonis expensa in Concilio Chalcedonensi: In damnatione articulorum Lutheri a Leone X. promulgata, & in Concilio Tridentino iterum examinata, & retractata, & his similia producant ad probandum, neque a Concilio Generalibus admitti Pontificis Romani infallibilitatem, si ejus iudicium posteriori iudicio Conciliorum subijci fas sit, & reformari.

Quum alibi de hoc argumento agendum sit, nervosius, quam fusc, opportuna in presentiarum congerere placet, quæ satis sint ad conterendum hostium coatum, quo infallibilitatem a Romano Pontifice exturbare aggrediuntur. Etenim primo statuere opus est, quomplex sit rei alicujus discussio, vel examen; & qua mente exordiri contingat; & quo sine studio interponi necesse sit.

O

Omni

(1) Epist. 13. ad Episc. Dardan. (2) Epist. 26. (3) de loci. Theol. l. 6. cap. 7.

Omnibus patet, a Theologis quæstiones plurimas excitari de divina existentia, de divinis personis, deque Dei attributis, quin ulla suspicio, aut dubium intercedat de veritate revelata eorundem. Ita a sacris expostitoribus, imo a Sanctis Patribus Verba, & sensus Sacræ Scripturæ expenduntur, & investigantur, quin infallibili veritati ejusdem, quicquam vel minimum detractum velint. Secus alla in controversiam veniunt, quia de sui natura dubitationem involvunt, vel patiuntur. Hinc aliter, & aliter studiosus meditari solet, vel ambigendo, vel controversias excitando. Nempe in re certa, ut contingit Theologis, & Sacrorum expostitoribus: ut discant quomodo veritatem tutius assequi possint, & quid dicendum, & docendum sit, melius complectantur. In re autem, quæ liberæ disputationi, atque opinioni est tradita, indulgetur ingenii judicio, ut suo calculo comprobet, & confirmet, rejiciat, & expungat.

Ad rem nostram. Primi generis contendo, esse, & fuisse quolibet examen, aut discussionem a Conciliis factam de Papæ definitivis judiciis ex Cathedra. Id ostendo irrefragabili exemplo. In Concilio Lugdunensi Generali, præsidebat Gregorius X. solenniter definitum fuit, Spiritum Sanctum æternaliter a Patre, Filioque procedere, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; dictumque fuit anathema iis omnibus, qui temerario ausu aliter asserere, aut tenere præsumperint. Quod & ipsi Episcopi Græci, cum Latinis convenientes professi sunt; & una voce cantatum fuit Symbolum cum additione Filioque. Prolapsi iterum Græci in pristinum schisma, pristinos quoque instaurarunt errores, donec tenente supremum Clavum Ecclesiæ Eugenio IV. lethargico somno exciti, in Concilio Florentino adunati, præhabitis ejuraverint errores, & schisma, ac unioni cum Ecclesia Latina sub uno, eodemque capite Romano Pontifice nomen dederint. In hoc Florentino Concilio retractatum plene fuit dogma de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio æternaliter, tanquam ex uno principio. Explorati sunt codices Græcorum, Patrum, discussa sunt verba, & sensus; enucleata fuit traditio; torumque impletum est, quod ad luculentum examen desiderari poterat. Cuncta patent in actis laudati Concilii. Dicit ne fortasse quisquam, decretum præcedens de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, editum a Concilio Generali Lugdunensi, fuisse dubiæ adhuc veritatis? Vel ipsum Concilium Generale habitum fuisse, ut fallibilis iudicii in fidei definitionibus? Nescias est id suspicari.

Quid ergo superest dicendum? Nisi affirmare, omnem peractam discussionem super dogmate processionis Spiritus Sancti, ex indulgentia Eugenii IV. fuisse, non ut in disceptationem inquisitionis veritas vocaretur, sed ut ob oculos errantium Græcorum omnibus instructa argumentis, inconcussa poneretur, ne in posterum, unde aberrarent, insciti redirent. Aliud exemplum præsto est (ommissis sexcentis aliis) in dogmate transubstantiationis in Concilio Lateranensi IV. juxta antiquam traditionem indicto; quod iterum in Concilio Tridentino retractatum est, ut Canonæ dogmatici de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento egerentur contra Lutheranorum, ac Calvinistarum blasphemias; ique manifestissimi revincerentur errores. Apertissime ac plenissime id explicat Magnus Leo ad Marcianum Augultum scribens in hæc verba. (1) Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui Regni vestri est auctor, & re-

tor, obsecror, & obsecro clementiam vestram, ut in præsentis Synodo (Chalcedonensi) fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam predicaverunt, non patiamini, quasi Dubiam, retractari, & quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, redirent, non permissis conatibus excitari.

Eadem profus æconomia usus est Sanctus Leo M. permittens Concilio Chalcedonensi, ut suam dogmaticam Epistolam ad regulas Sacræ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum traditionis excuteret. Seu si mavis, dicam etiam, potuisse, & debuisse Patres Chalcedonenses expendere epistolam dogmaticam Leoninam, ut intelligerent veritatis fundamentum, & pondus, sicque muniti, & instructi Nestorianos, & Eutychnianos errores fundarent, atque delerent. (2) Ut vero a se prædixisse ostenderet, quod a prima omnium Sædæ formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent: inquit S. Leo: Verum factum examen non potuit violare infallibilitatem Pontificiam, quemadmodum diximus de actis Concilii Florentini. Imo plane constat neque in animo fuisse Patribus Chalcedonensibus eam in dubium vocare; quia quum fuerunt bene edocti de veritate definitionis Magni Leonis, illico in ejus doctrinam concesserunt acclamantes: Petrus per os Leonis locutus est. Credimus sicut Leo. Et iterum clamaverunt: Qui non consentit epistolæ Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est: Qui non ei subscribit, hæreticus est. Rursus omnium episcoporum vox intonuit: Spiritus Sanctus definitionem distulit: Qui non subscribit, hæreticus est.

Verba eadem ingeminata legimus in sexta Synodo propter epistolam dogmaticam Sancti Agathonis; & in prima Ephesina Synodo in Sancti Cælestini I. obsequium. Quo hæc tendant, quilibet a sophismatibus solutus probe percipiet: nempe Patres Chalcedonenses post exactam cognitionem epistolæ Leoninæ, comprehendisse, ibi impressam legi infallibilitatem auctoris, adeoque nihil opus esse, quidquam adicere, præter fidei professionem, & puram obedientiam intellectus captivitati in obsequium, & fidei, & Romani Pontificis definitis ex Cathedra. Ita conceptis verbis sincere narrat Evagrius, agens de gestis Synodi Chalcedonensis: (3) In unum rursus congregati (Episcopi) primum responderunt ad rogatum Principum, de vera, rectaque fide doceri cupientium: deinde dixerunt, non debere quidquam amplius de causa Eutychnis, semel ab Episcopo Romano conclusa, definitaque statui: In quam sententiam omnes quasi pedibus ierunt. Adde placet responsum Episcoporum Galliarum. Misit S. Leo suam epistolam dogmaticam, de qua agitur, ad Galliarum Episcopos, qui Ravennio Arelateni Præside in Gallia Narbonensi convenientes, per Synodicam Epistolam rescripserunt: (4) Doctrina post Deum vestre debet quisquis fidelis, ut constantiter teneat, quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat; Et Apostolica institutionis luce persusus, erroris sui nebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de Sacramento Incarnationis sue docet, quam id teneat, quod Diaboli humane salutis, & veritatis inimicus instillat. Ea perenne infallibilitatis Pontificiæ testimonium.

Uterius ad adversariis scire aveo, cur tam ecri conatu exaggerent examen factum a Concilio Chalcedonensi super laudata epistola dogmatica S. Leonis, ut exinde deiciant infallibilitatem Pontificiam,

ciam, quando si hoc argumentum quidquam evinceret, æque infallibilitatem Concilii Generalis everteret; Quod sane improbat. In ipsos egregiam probationem proferam, quin ab adducto exemplo epistolæ Leoninæ digrediar. Peracta Synodo Chalcedonensi Cererius sive Cyriacus Episcopus Gallus misit Epistolam S. Leonis ad Eusebium Mediolanensem, qui congregata Synodo Italice Dioceses dedit Synodicam Epistolam, in qua, post expensam doctrinam ad apices Sacræ Scripturæ, & traditionis, declarant illi Patres, se solenniter illi subscribere. (1) Domine sancte, & Beatissime Pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, ut eos, qui impie de Incarnationis Dominicæ Sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui prævitio a Catholica fidei veritate recedentes, se ipsos dignas abjectione fecerint, suo etiam consensu, auctoritatis vestre præcedente sententia, damnatione congrua persequendos.

Series hujus facti vel æque elevat infallibilitatem Papæ, & Concilii Generalis, vel neutri detrahit. Examen, consensus, Synodica subscriptio, Judicium, & hujusmodi posteriora ad iudicium latum ex Cathedra, jugulum petunt infallibilitatis Papalis, ut adversarii plenis buccis exaggerant.

Sed hæc omnia impleta etiam fuerunt post, latum iudicium Concilii Chalcedonensis, ergo pariformiter evanescit infallibilitas Concilii Generalis. Quid ad hæc respondere possint, non video. Sed veritate enitente dicendum est, omnia prædicta infallibilitati neutrius officere, quia ad descendum, & obediendum inducta sunt, neutiquam ad iudicandum ex superioritate, super re jam finaliter iudicata, & definita a Pontifice Maximo, vel a Concilio Generali.

§. XXXI.

Argumentum ex can. Si Papa convincitur.

IN collectione Canonum a Gratiano adornata legitur dist. 40. Si Papa deprehendatur a fide devius, poterit accusari, & iudicari. In aliis vero culpis nullus mortalium ipsum redarguere præsumat, quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine est iudicandus. Ex quo Canone infallibilitatis Pontificiæ æmuli exclamant. Equis involata fidei Doctorem, & Magistrum confiteri poterit, quem in fide defectibilem agnoscere cogimur? Si fides ipsum Romanum Pontificem indeclinabiliter non dirigit, erit ne credendum, quod alios in fide rectos constabilet? Qui infirmus est, confirmabit ne fratres indeclinabili definitione, & irreformabili sententia? Vanum est igitur Romanum Pontificem affirmare defectibilem in fide, & simul asserere, illum esse infallibilis iudicii, quam ex Cathedra pronant.

Hæc tota vis, & series argumenti, cui præsto est aliud argumentum non inferioris efficaciæ ad enervandum impetum illius, & adversum conatum. Nemo est, qui non affirmet, singulos orbis Episcopos falli, & fallere posse, quam tot inausa exempla suppeditat historia, tam Ecclesiastica, quam profana. Identidem legimus 400. Episcopos Occidentales Arimini fuisse congregatos, ut de diversis formulis statuerent quid dicendum, aut tenendum esset, quo fides Catholica contra Arianam perfidiam incolunt, & pura custodiretur. Fere totus tam spectabilis Episcoporum cætus lapsus est, subscribendo Ariana Formulæ, quam Valens, & Ursacius Arianorum signiferi

Serry Tom. V.

(1) Inter epist. S. Leon. post 52. cap. 3. (2) Epist. 77. ad Epist. Cantuar. lib. 1. int. op. Christ. Lup. t. 10. (3) l. 2. cit. tom. ep. 60.

impudentissime comparaverant. His præmissis, respondeant arguti adversarii: Quo genere rationum urantur, ut defendant infallibilitatem Concilii Generalis, quod ex Episcopis erroris in fide obnoxii coalescit? Quomodo pro certo accipi poterit iudicium latum ab iis, qui tot exempla suæ fallibilitatis posteritati præbuerunt?

Respondent sane, Episcopos esse quidem errandi defectu, ex culpa humanitatis, implicatos. Verum quum in Spiritu Sancto congregati, in unum conveniunt ad docendam, & dirigendam Christi Ecclesiam, specialis Dei assitit adeo firmiter promoventur, ut certissimam sententiam in rebus fidei denuntiare non desinant. Aliter se expetere hujusmodi Sophista non possunt, nisi cedere argumento turpiter se pariantur. Eadem responsio Pontificiæ infallibilitati omnino quadrat. Potest Papa esse devius a fide, sicut & a recta ratione, utpote & ipse filius Adæ: quemadmodum Petrus potuit ab Angilla decipi, & Christum negare: Attamen quum Papa suo munere respondens tenetur ex Cathedra docere fideles, tunc induitur ex alto ipsis privilegii Petri, quibus institutus est regere, & pacere Christianum Gregem, & fratres in fide valide, & indeclinabiliter confirmare.

Nonne propheta, quamvis homines infirmitate circumdati, imo nonne Balaam, Saul, Caiaphas in impietate jacentes, propheticas voces infallibilis veritatis ediderunt? Nonne Apostoli in predicatione Evangelii expertes fuerunt mendacii, essi in conversatione reprehensibilis fuerit & ipse Petrus? Omnium causam afferam; sollicit quia spiritus ubi vult spirat, & quomodo vult lumen menti præfert, ut agat, quin sciamus, unde veniat, aut quo vadat. Agitat Prophetas, ut veritati testimonium ferant, & immunitatem ab errore illis communicat. Agit Apostolos, ut mysteria diffinent, & immunitatem a mendacio eis donat. Imbuat Pontificem Romanum, quem constituit Pastorem, & doctorem omnium Fidelium, ut dirimat quæstiones de fide, controversiasque subortas finali iudicio ex Cathedra definit, suæque sententia Fratres confirmet. Ecur privilegium immunitatis a fallendi defectu, juxta Christi pollicitationem ei denegabimus? Nonne in fide, & doctrina Petri, scribebat Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, (2) totius Ecclesiæ struenda confurgit, donec occurrant omnes Christo in vitam perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? . . . Quicumque sit qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrina ipsius acquiescit. . . . Quidquid maximum fuerit, Romano Pontifici reservatur. Ordinem hinc Petrus docuit. Hunc usque modo Catholica servavit Ecclesia; nec unquam auctore domino, quidquid molitur iniquitas, subvertetur. Prosequamur cætera ad levamentum angustis. In regno autem Anglorum (utinam solum esset) quod sine dolore multo ad mentem reducere, vel sine lacrymis dicere non valentem, multum præsumitur adversus Petrum. Sedis Apostolicæ, quantum in porveris potestatis est, attentatur, & periclitatur auctoritas. Concordat ad rem nostram Joannes de Sarisberia ad Episcopatum Carnotensem euectus, Alexandrum III. compellans: (3) Jus est, Pater, jus est veras exprimere voces, præsertim apud eum, qui amator, & patronus est veritatis, & cujus ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.

O 2

§. XXXII.

(1) Epist. 43. (2) Epist. 93. ad Theodorit. (3) l. 2. hist. c. 18. (4) In epist. S. Leon. post 51. c. 3.

§. XXXI.

Argumentum ab placitis opinantium Scriptorum peritum, nuper editum refellitur.

Post evulgatam Typorum defatigatione de Privilegiis Romani Pontificis duplicem dissertationem, insurgit Anonymus Scriptor, qui Opusculum inscriptum: *Infalibilitatis Pontificia iustis terminis circumscripta explicatio, atque defensio: Dissertatio apologetica adversus novissimum Privilegiorum Pontificiorum Vindicem, Typis Bartholomaei Giavanne Venetis publicatum; ad priorem librum de Pontifice Romano fallere, & falli nescio vindicandum, oratoriis lacertis produxit in lucem. Totus in eo est, ut Opusculi praefati vires reintegret, & incolumitati restituat. Sed obtendentis opinionis prostratam causam labor nullus attollit, Blande tamen audire momenta, & congressi paratissimus est mihi animus, quia duntaxat instat amor constabiliendae veritatis. Utinam talem, & tantum Virum devincere, & devocare a proposito valerem!*

Arguit igitur anonymus Scriptor; Quid me pungis, ait ille, Si illigatam censui Pontificiam infalibilitatem consultationi, & assensui amplissimorum Cardinalium, Peritorumque studio, in definitione Quaestionum de Fide, & moribus, si mecum in hac opinione pugnarunt, & pugnant eximii, atque celebres primi subfellii Doctores, & Magistri, qui ad unum hanc efferunt conditionem, tanquam medium Divino jure statutum, Divinae Providentiae accommodatissimum, nec non humanae prudentiae necessarium, ne temeritatis, & oscitantiae, periculum subeat Pontificia auctoritas? Tunc Papa ex officio, & ex Cathedra loquitur, quando agit ut Caput, utens scilicet auxilio membrorum. Haec autem potissime Cardinales expriment, qui jure divino assident Romano Pontifici, tanquam consilarii nati, & Coniudices Orbis Terrarum, ex quorum consiliis, & assensu regit Papa, & gubernat Universam Ecclesiam. Igitur Conclamantibus (1) Illustribus Doctoribus & quidem Pontificis Privilegiis adiditissimis, Romanaeque Sedis strenuis Vindicibus, qui conceptis verbis se explicant asserendum est, Papam esse infalibilem accedente Romanae Ecclesiae, hoc est Cardinalium consensu; Et quidem indispenfabiliter, & necessario simpliciter, ut infalibile haberi debeat, & dici Judicium Papae.

Haec summa argumenti, cui nihil aliud roboris inest, quod plene in hac ipsa dissertatione enervatum non fuerit. (2) Ubi Textus, Ubi Testes pluries ingeminavi? Nempe ubi textus Evangelicus, Ubi Testis Oecumenicis Concilii, vel Romani Pontificis Decretalium, quibus apprime dimenda lis est in re dogmatica? Paucis dixit Christus Petro. Tu, Petro, Pasce oves meas. Tu, Petro, confirma fratres tuos, ut saepe innui. Quidquid post mille, & quadringentos annos addunt, demunt Doctores, etsi aliunde celebres, vel exposcant, ut additamentum necessarium simpliciter ad infalibilitatem Papae efformandam, profusus ad deformandam adinventum est, vera falsis immiscendo. Idecirco monui, (3) abstinendum esse ab eorum dictis excutiendis, quia in actu con-

tentionis scribentes post schisma plurimum humani passi sunt, quod perspicue mox ostendam ex eorumdem discrepantia, de qua partite, definite, atque distincte differendum est.

Auctores citati, omnes ad unum loquuti sunt de praevia consultatione, vel de praebulo assensu in antecessum requisito ad finalem definitionem, quum quaestione de fide, vel moribus Romanus Pontifex preemtorie exsolvit. De hac praebulo Consultatione discrete, ac perspicue fatus sum (4) in hac ipsa dissertatione, illam laudando, & admittendo, ne inconsiderantia unquam argui posset Papae iudicium. Sed an haec praeparata Consiliorum, & assensus digestio necessario simpliciter, ut de Schola loquimur, praevenerit debeat Judicium Papae, ita ut si desit Cardinalium, vel Doctorum in Divinis; & decretis Consilium, & assensus, omnino evanescat infalibilitas a Papae Judicio, non est unum Doctorem pralaudatorum sententia. Alii etenim, & quidem numerosiores, ductore Sapientissimo Magistro Cano, acerrimo defensore Pontificiae infalibilitatis, ultra necessitatem urgentis congruitatis non efferunt requisitam praemittendam consultationem; Alii (5) numero pauciores, qui desituti auctoritate evangelica, atque traditione primae antiquitatis, in novitate opinionis sibi complacent, usque ad necessitatem simpliciter consentium placitum pro iudicii indeficientia faciendam per summam contentionem abripiunt, ita ut aliter desinentem Pontificem fallibilem pronuncient. Frustra tamen id conantur, & fortasse praeter animum, de quo fufus infra sum dicturus. Ut ut sit, cum Hieronymo scribente ad Damasum (6) clamio: Si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Melchior, Vitalis, atque Paulinus tibi habere se dicunt, possim credere, se hoc unum assereret: Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.

Patens exemplum dedi in Epistola Dogmatica Magni Leonis, (7) quam esse opus ejusdem Doctrinae ac Sapientiae nemo inficiabitur, nisi hospes in Ecclesiastica Historia. Perspectum id habuerunt Episcopi Galli ad eundem Leonem scribentes in hac verba: Doctrina post Deum vestra debet quisquis Fidelis, ut constantiter teneat, quod credebatur, ut jam innui. (8) Perspectum id habuit Concilium Chalcedonense, quum per Patres conclamatum fuit: Petrus per os Leonis locutus est. Si quis dissentiat, sciat Jurisprudentiae commune proloquium esse inficatori incumbere perspicue probare. Tunc sit insurgo. Poruit S. Leo, potenter alter aequalis, vel superioris sapientiae per sese quaestionem de fide, & moribus discutere, & explanare, eamque finali iudicio definire. Igitur consultatio praevia, sive Cleri, sive Cardinalium, sive Peritorum non est adeo connexa, sive ut conditio, sive ut medium, cum infalibilitate iudicii, ut si desit, ista evolare statim intelligi debeat.

Obstant, ajunt, ratiunculae quaedam ab humanis petitis; nimirum de Jure divino naturali esse, quod caput suis membris utatur ad corpus regendum, custodiendumque ab adversantibus contrariis. Cur igitur necessario, & semper non debeat Romanus Pontifex in iudicio discretivo rerum fidei adhibere, vel Cleri, vel Cardinalium consultationem, & assensum sub interminatione delendae infalibilitatis? Si ita est, Respondeo, for.

fortius urgebit ratio in humanis. Scrutemur Scripturas, an divina Historia id nobis persuadeat. Certum est, Regem esse caput Populi ad regimen, defensionemque ejusdem institutum, ut leges ferat, & iudicio subortas controversas finiat, ac preemtorie dirimat. Edoceri cuperem, an Salomon paratissimus, ac promptus ad quaecumque enigmata enodanda, & ad iudicia promenda, probari possit usus semper Synedrio, vel Peritorum Consilio ad discernenda iurgia, vel lites, & ad leges condendas? Fortasse excipi poterit etiam Leo, dictus Sapiens, Graecorum Imperator, & quis alius. Ergo in uno, vel altero fallit regula, & corrumpit ratio, quod satis est ad expungendam investitam necessitatem simpliciter, nempe quod Peritorum adiutorium, & Consulentium examen semper, & ubique praemittere necesse sit.

Itaque tot Doctorum illustrium opinio nullius erit ponderis, vel momenti? Ita plane. I. Quia Corda opinio est, auctoritate Evangelii, & traditionis penitus orbat. II. Quia in diffidiis Disputantium praecoci ingenio enixa opinio est. III. Quia communiore calculo, imo & Apostolica Sedis interminatione, ut exotica opinio habetur. IV. Quia secum ipsa difcors, & inconspans opinio est. Alii quippe consultationem utcumque exposcant, nihil de Consulentibus distinguunt: (1) Alii Concilia Episcoporum requirunt (2) Alii Peritos advocant, quicumque illi sint: (3) Alii Cardinales, & Episcopos simul, & Viros peritos expugunt: (4) Alii nonnullos Cardinales a Papa seligendos expostulant, absque Personarum acceptatione. (5) Alii totum Cardinalium Collegium praescribunt convocandum esse, ut Consilium ferat, & sui consensus suffragium: (6) Alii tandem indicunt praemittendam esse consultationem Romanae Ecclesiae, videlicet Cardinalium, Theologorum, Consultorumque, uno verbo, majorum natu ejusdem Ecclesiae, & Urbis. (7) ut intelligi debeat Romanus Pontifex pronuntiare ex Cathedra. Itaque majores natu consulendi sunt: Sive sint docti, sive indocti; fortasse etiam sive sint Laici, sive Ecclesiastici, etsi myriadem aequent, ad iudicandum iudicio discretivo de rebus fidei, & adhibendi sunt. Et haec probat vir doctus, tanquam per ipsum digesta, & propugnata in sua ipsissima de Romano Pontifice falli, & fallere nescio, dissertatione? Haec devorat? Haec propinat vir Sapiens in penemiam Pontificiae infalibilitatis, ut dissonantia, & discrepantia obrudantur? Molim! Nam quum veteri astructur recens edificium, quasi surgenti rebellans oneri cedit. (8) Quid? Quod si uniuersusque opinionis placitum est admittendum, nonne semper (ut verbis Cano) (9) novum examen, iudiciumque recens postulabitur, ut de diligentia adhibita, vel non adhibita censatur? Quid absurdus?

§. XXXII.

Prosequitur praecedentis Objectionisaversio.

Si fas effet ex ruderibus antiquitatis, vel librorum quaecumque indiscreta, & incondita effodere, eaque absque debita investigationis trutinam, & criterio in lucem promere, solo spectato auctorum nomine, quot inconstantes, incoctaeque Sententiae, imo quot errores, & haereses non revivifcerent? Nonne Millenariorum Phantasma praecleara priorum Christianae aera saeculorum ingenia invasit, & insanum effere mox in apertum exponere? Libido scribentium, neglecta inquisitio veritatis, oscitantia in expendenda Traditione, inscitia aliarum artium, a quibus plures conclusiones dependent, & alii similes defectus solent mentes hominum corrumpere, ne veritas suo, quo patet, splendore erumpat, & illucescat. Quo factum est, ut a saeculo decimo quinto diffidia, & schismata enitente adversus Pontificiam auctoritatem, in devias plerique abierint opinioniones, dum eam defendere omissa Traditione molirentur. Videntes quippe Romanos Pontifices postremo in arduis uti consilio, & ope amplissimorum Cardinalium, Peritorumque studio, oblitum sunt praevae antiquitatis, in qua aliter res se habuerat.

Corrumpit proinde indiscreta imaginatio. Amplissimi Cardinales non indigent debito nitore, qui Pontificiam infalibilitatem disturberet. Sunt utique Consilarii Papae ab instituto dignitatis, instatigabiles Adistentes Apostolicae Sedi, ut praesto sint, opem, consilium, suffragium, assensumque ferre, quum vocati fuerint, vel quum zelum, & amor sui voti obedientiam offerre impulerit.

Quod si Cardinales Coniudices Orbis nominantur, ideo est, quia a Papa pluribus praeficiuntur Tribunalibus iudices Casarum ad Romanum Pontificem delatarum; non autem quia simul cum Papa intelligantur controversas definire. Quemadmodum Apostoli Coniudices erant in extremo iudicio, quia sedebat & vos iudicantes duodecim Tribus Israel: dixit eis Christus Matth. 19. quin futuri sint Iudices in proprio iudicio ejusdem Christi Domini; nisi per approbationem, quod ceteris Sanctis erit commune, ut probat D. Thom. Comment. in dictum Caput Matthaei. His adde, morem fuisse Romanorum Pontificum appellare ceteros Orbis Episcopos agnomine Coepiscopi, & Communiarii, quia in partem sollicitudinis sunt vocati, sed numquid haec Papa dignatio infert, commune esse cum illis Ecclesiae Romanae regimen proprium Romani Pontificis? Nemo id dixit.

Sed quorum haec, ad coarctandam infalibilitatem Papae adeo ut funditus everti necesse sit, si eorum desit, vel consultatio, vel assensus? Ipsi amplissimi Cardinales discrete in hac sponderunt: Nam quum tempore Concilii Romani a Benedicto XIII. coacti, ortum fuerit dubium, an verbum Consentens subscriptionibus addendum, argumentum Oforibus Pontificiae infalibilitatis suppeditare per nequitiam potuisset, provide cautum fuit, exarata Scheda (10) Supplicis libelli ab amplissimis Cardinalibus, media etiam eorumdem subscriptione, qua declaratum fuit, nihil additum, vel detractum iri, in hac subscribendi Formula, Petri, successorumque inconcussis privilegiis, & praecipue infalibilitatis in definiendis quaestionibus de fide, & moribus. Verum instante improbitate temporis probe censuere a verbo Consentens abstinere, & verbum tantum Subscripsi subtertere. Et id supplices a Benedicto Pontifice Maximo obtinuerunt; ut in actis factum est.

Hujus generis monumenta decebat Anonymum Scriptorum ad rem proferre; & si penitus ignorabat, abstinendum quoque erat a recolendo supplicis libello alterius generis, qui neque per somnium praesentem causam concernit, utpote quid aliud

(1) Cano de loc. Theol. l. 5. c. 5. Driedo l. r. de libert. Christian. Silvester in Sum. V. Concilium, & l. r. de Jurid. ver. Rom. Eccl. c. 15. & alibi. Jo. Vigner. Instit. Theol. Thom. a Ss. Trinit. contr. 237. Sect. 18. Bellarm. de Sum. Pont. l. 4. c. 2. Albit. de Inconst. c. 3. Turrecrem. de Pot. Papae l. 2. c. 112. Capers ad dist. 76. de Card. art. 2. Hofius in Confels. fid. c. 28. Alphons. de Castro l. r. adv. her. c. 8. Duall. de Pot. Papae p. n. q. 3. Dom. Gravin. in Clip. qu. 1. & 2. Lup. in Dist. Greg. VII. Can. 22. Cherub. Rom. ad Tit. de Consult. prop. 2. §. 2. (2) Supra §. 27. & dist. 2. §. 18. (3) §. xi. Differt. 2. (4) §. 5. o. 7. §. 9. 27. 28. & 29. (5) Alphons. de Castro, & Chembin Rom. ex cit. (6) Epist. ad Damasum. (7) §. 30. Hujus differt. (8) Supra §. 30.

(1) Dom. a Ss. Trinit. Driedo, Lupus, Hofius, (2) Jo. Vign. var. (3) Bellarm. Albit. Duall. Silvester. (4) Gravin. Cherub. (5) Silvester. Turrecrem. (6) Alphons. de Castro loc. cit. (7) Cherubin. Roman. loc. cit. (8) Colum. l. r. (9) L. 5. c. 5. cit. (10) Sub dist. 27. & 29. May 1725.

aliud mutabilem disciplinam spectans, in quo quid obrepit, vel sumptum fallere potest Pontificem indulgentem.

Arguet fortasse quispiam: ergo poterit Romanus Pontifex, sui Juris compos, etiam inconsulte, inconsiderate, & ex abrupto ad definiendas res fidei devenire? Imperita consecutio? Nunquam id fuit, nunquam id erit. Qui infallibilitatis Privilegium elargitus est Petro, abunde providit, & providebit. Alibi consimili argumento (1) occurrimus, obijciendo exemplum Concilii Ariminensis, quod pene totum Ariam formulam subscribens probavit. Quid tum, si pravia Consultatio Peritorum erraret? Nonne tunc potius, & verius cogere nos dicere, in consilio, inconsiderate, & imperite Romanum Pontificem procedere, si ad subscriptionem v. g. ferme 400. Episcoporum Arimini sedentium accessisset? Nonne ipsi Patres Generalis Concilii saepe fuerunt disputantes, Consultarii, & Judices? Acta Concilii Florentini, & plurium antiquiorum palam sunt, quae id probant. Eccc S. Leo Magnus, Eccc S. Gregorius Magnus, aut si quis alius fuit, aut erit excellenti Sapientia praeditus, alligandi sunt pravia alienae consultationi sub poena interdicendae infallibilitatis? Per os Petri jubemur audire, & credere; & hoc satis.

Tandem vergit disputatio ad enunciatae propositionem: Papa est infallibilis accedente Cardinalium consensu. Quilibet sui compos plane intelligere debuit, hic agi de consensu posteriori, neutiquam de praecedente Pontificiam definitionem; Quemadmodum omnes ad unum intelligunt, eos locutos, qui ex adverso hanc aliam proferunt: Papa est infallibilis accedente Ecclesiae assensu. Anonymus Scriptor aequivoocationem diluere fatigat, & de assensu consultivo praevio praefatum esse proficitur. Mirandum sane, quod in re dogmatica ludatur verbis, quod perinde est, ac in utraque partem claudicare. Iterum dico (Parcant Eruditi, si semel dicta, & repetita recitare cogor praeter regulas artis, quia furda morositas, vel praerit, vel dissimulat): Iterumque dico, quod praevisam consultationem non abhorreo, non rejicio, sed honeste, congrue, concinne censo praemittendam esse: Dicam etiam necessario, si Papa sibi impar sit ad difficultates enodandas. Ceterum si de necessitate absoluta, & simpliciter sit sermo, allatam propositionem profero, damno, & diris devoveo. Neque ipse Anonymus ingenue hanc alteram proferre audebit Rex est conditor Legum, accedente Senatus, vel Procerum consensu: quia utrobique satis constat, vel imminui, vel omnino deleri auctoritatis Privilegium; Utrumque manifeste, & invictis momentis, exemplisque ex monumentis Ecclesiasticis petitis probatum est. Opinatores ex adverso productos, primum tantum intendere, necesse est, ne ad commenta dilabi videantur. Quod si auctoritati eujuscumque Scriptoris standum est, monitum Sancti Leonis praehabendum omnino arbitror, quum scripsit (2) Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas veritates, sed ad semetipsos recurrunt; & ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis Discipuli non fuerunt.

§. XXXIV.

Auctoritas Melchioris Cano, sensusque omnis excutitur.

Præ ceteris decet Sapientissimum Cano ad impacta culpa vindicare, quasi minoris habens Pontificiam infallibilitatem, aliorum Consultationi tandem eam subjecerit, sive ut medio, sive ut conditioni illigandam. Propterea, ut intentum Anonymus Scriptor assequeretur, sparsim verba egregii auctoris hinc inde abrafit, ut scum lectoribus obijceret perditaque causa patrociniū compararet. Irrito tamen conatu. Vindex est Cano acerrimus Pontificiae infallibilitatis auctoritatis, neque citra injuriam ejus doctrinae fas est hujusmodi maculam injicere.

Inquirens Magister probatissimus Cano (3) an definitiones Papae, vel Concilii, de fide, vel moribus prolatae, habende sint in numero Sacrorum, & Canonicorum librorum, ut alicui Theologo sui temporis placuit, negativam complexus sententiam statuit inter utroque latissimum discrimen; quia Auctores Sacri, uti Apostoli, Prophetae, & Evangelista ex proxima Dei, vel revelatione, vel inspiratione scribunt catholica Dogmata... At Concilium, & Pontifex humana via procedunt, rationemque sequuntur, atque argumentando, verum a falso discernunt: Non enim existimandus est Summus Pontifex eam habere facultatem qua in Apostolis, Prophetis, & Evangelistis inerat, ut proposita una qualibet de fide questione, protinus dignoscere possit, utra questionis pars vera, falsa sit. Sed adhibere potius consilium necesse est, & expandere utriusque Partis argumenta: tum deinde sequitur auxilium Dei, quod videlicet opus est, ut Summus Pontifex in recta fide contineatur. In Concilio itidem non habent Patres mox quasi ex auctoritate sententiam, absque alia discussione, dicere: Sed collationibus, & disputationibus re ante tractata, precibusque primum ad Deum fuis, tum vero questio a Concilio sine errore finitur, Dei videlicet, auxilio, atque favore, boninumque diligentia, & studio consuetibus.

Nihil erat praetermittendum, aut dissimulandum, ne male fidei argueremur. Sed notanda sequentia, quae statim prosequitur Cano: Nam & Apostolis & Praesbyteris in Synodo Hierosolymitana congregatis non statim revelatum est, quid esset in Fidei causa decernendum, sed facta est prius, ut Lucas ait, magna conquisitio. Et in Nicena Synodo, ut Rufinus tradit, per singulos dies agitabatur Conventus; nec facile aut temere de re tanta statueri audebant Patres... ex quo perspicuum est, non dormientibus, & oscitantibus Spiritum Sanctum assistere, sed diligenter, & humana via quaerentibus rei, de qua differitur, veritatem.

Ex relatis verbis plene exulat necessitas simpliciter talis alienae consultationis Peritorum in Divinis, & Decretis, ut infallibilitas Dogmatis confurgat. Quemadmodum enim in Conciliis, Hierosolymitano, & Niceno tota disquisitio rei definiendae pene ipsos Patres, & Judices agitata fuit, quia sibi pares fuere ad necessariam inquisitionem veritatis: Eccc Magnus Leo, & alter similis Pontifex par sibi ad discernendum verum a falso, non poterit simul esse inquirens, & Jindex in fidei momento? Pariformiter locutus est Cano de Concilio, ac de summo Pontifice.

Testem advoco ipsum Magnum Leonem, qui in hac verba se explicat, auctorem Epistolae Do-

Dogmaticae ad Flavianum (1) Quoniam Catholica Fides, quam instruit nos Spiritus Dei per Sanctos Patres a Beatis Apostolis didicimus, & docemus, neutrum subrepere permittet errorem; similia scripserat ad Anatolium (2) expressius ad Monacos Palaestinos (3) & ad Julianum Coenssem Episcopum scripsit (4) In causa itaque Fidei quidquid pro nostro Officio agi potuit, & potest, jurante Domino, & sollicito, & libenter exequimur. Propter quod, sicut omnibus notum est, non desisti laborare, ut manifestata, atque defensa Incarnationis Dominica veritate, omnis fraternitas, quid ubique tenendum, & docendum agnosceret. En studium, & consultatio Patrum, En disquisitio scripturarum, & labor. En discussio veritatis, quam felicitus potuit ipse Leo praestare, quam si cujuscumque Doctoris poposcisset auxilium. En consilium a Cano petitum, ne credatur dormientibus, & oscitantibus Spiritum Sanctum assistere, nunquam dixit celeberrimus Cano sedem Apostolicam non tantum Papam signare, sed una simul praesidentem Clerum, aut assistentes Cardinales, ceterosque adjuutores, & consiliarios, quos vocare fas esset ad consulendum. Nunquam probavit, ut pote assumptum Pontificiae infallibilitatis eversum. Nam si omnes Episcopi sunt Judices & idem est de Consiliariis, summus nimirum Pontifex senebitur in ferenda sententia majorem partem Judicum sequi, eorumque doctrinam approbare... Nego enim, cum de fide agitur, sequi plurimum Judicium oportere... Quo circa Summus Pontifex majoris partis sententiam non tenetur amplecti; Imo sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, munus est Apostolice Auctoritatis ad veram eam fidem revocare: juxta illud, quod Petro dixit Christus: Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu non unum, & item alterum, sive paucos, sive multos confirma fratres tuos. Inquit Cano (5)

Ex quibus invicem educitur argumentum; Dux Claves commissa sunt Petro, non ceteris Adjutoribus sed successoribus Petri in Romana sede, una scilicet potestatis, altera discretionis. Si hac supra quoscumque Judices, Episcopos, se exerit, ut coarceat, corrigat, discernat, & confirmet, ad veram fidem eos revocando; Ecquis supra Consiliarios quoscumque extendam esse dubitabit, ut eos, veritate per sese comperta, ut Magno Leoni contigit, abjiciat, vel ad consulendum non advocet? Quam ob rem, subdit Cano (6) qui sive Pontifex, sive Concilium diligentiam fidei causa finiendam in dubium vocant, eos necesse est omnia Pontificum Judicia, ac Conciliorum infirmare... Nam Deus suaviter disponit omnia, simulque prospicit, & finem, & media ad finem necessaria... sic omnino cum Ecclesia Fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quominus tribuat Ecclesiae preces, ceteraque praesidia, quibus haec firmitas conservatur... Itaque praestat semper Pontifex, quod in se est; praestatque Concilium, cum de fide pronuntiat; cadique causa, si quis & nostris aliter existimat... Item cum (Christus) dixit: Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, procul dubio intelligimus id a Patre suo consecutum, ut que ad rectum de fidei questione judicium oportere, ea adessent Petro omnia, sive a Deo, sive ab Homine expectarentur... Quibus ex rebus facile comprehenditur, cum Spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque successoribus in fidei negotio promiserit, nihil omnino illis defuturum, quod Fidei Controversis finiendis fuerit necessarium. At si semel Haereticis

hanc licentiam permittimus, ut in questionem vocent, num Ecclesia Judices eam diligentiam, & curam exhibuerint, qua opus erat, ut questio via, & rationi finiretur: Ecquis adeo caecus est, qui non videat omnia mox Pontificum, Conciliorumque Judicia labefactari?

Igitur de mente Melchioris Cano firmissime tenendum est, promissionem Christi de fine, & mediis ad dirimendas Controversias Fidei, Petro datam, eo collimare, ut certissime largiturus sit Deus omnia ea, quae ad discretorium Judicium possunt congruere; scilicet, vel sapientiam summam Pontifici, vel Patribus in Concilio adunatis, ut per se ipsum, vel per se ipsos valent questionem agitare, veramque sententiam a falsa per diligentem inquisitionem Sacrae Scripturae, & Patrum doctrinae discernere; vel ab Homine, per studium, & consilium veritatem indagare. Primum implevit Leo Magnus, ut in confesso est & plura Concilia identidem expleverunt. Alterum frequentius occurrit. Quod satis est ad evitendam necessitatem alienae Consultationis simpliciter, Ita nunquam ego admittam, aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam necessariam questionibus fidei decernendis omisisse; sigillat Cano (7) hoc est, sive proprio, sive aliorum studio, & diligentia id evenerit.

§. XXXV.

Quibusdam monitis ad Anonymum Scriptorem proposita disputatio absolvitur.

Præmonueram in Praefatione Opusculi de Privilegiis Romani Pontificis; quod si quidquam asperum calamo excidere contingeret, parcerent Eruditi; Non enim ad contumeliam dictam velint, sed ad vim argumenti revocandum esse probabunt: Hoc satis esse poterat, ut quisquis intelligeret, nihil detractum iri Auctoribus, sed opinionati jam dudum, & iterum censuris debitis, & proserptione multata. Neque fas erat (Proborum sapientum advoco judicium) Censores, & proserptiones latas jocosè traducere, quia neque Filii, neque Discipuli erga Matrem, & Magistrum Apostolicam sedem fagit indolem.

Opus in Praefatione notatum sub nomine Benigni Bossuet Episcopi Meldensis alteri adjudicavi, quia plures Apologiae in Gallia editae satis me docuerunt. Haec latent Anonymum. Infscientiae veniam. Ceterum quam deformis opinio culpa non caret, & auctoritatem promptissime detestor, etiā insultam.

Quid autem docendum, & tenendum sit in judicio infallibili de facto dogmatico, de quo agit Anonymus §. 9. pag. 54. opere pretium iterum est, post superius dicta sermonem intinueri de sensu doctrinae & de sensu Auctoris, seu ab Auctore intento, diverse ille contendit disquirendum esse in facto Dogmatico; quia inquit, primus a Sacra Scriptura, vel Patrum traditione, Decretisque Ecclesiae emergere debet; Secundus vero per Leges Grammaticae, vel Critices artem statuendus est. Sed distinctio fatilis erit, si animadvertatur utrumque sensum doctrinam concernere, & ab eodem doctrinae fonte effluere, necesse sit. Hic non est Sermo de una, vel altera propositione, quam praecipiti calamo excidere contingeret; sed de libro, in quo fufe, & continuo prava, vel sancta doctrina continetur, momentis suis asserta, & stabilita; puta, in pravis, liber Institutionum Galvini, & hujusmodi. Perinde est in Sanctis confutatio Pelagianis

(1) Epif. 69. ad Marcian. (2) Epif. 67. (3) Ep. 91. (4) Ep. 91. (5) Loc. cit. §. Verum. (6) Loc. cit. §. Alter. (7) Loc. cit. (8) §. 25.

(1) Infra §. 14. Diss. 2. (2) Epist. 24. ad Harian. (3) L. 3. c. 5. de loc. Theol. §. at hoc

nis objecta a Divo Augustino pluribus in libris. Etenim quemadmodum dicimus locutum Deum in Sacris paginis, ita loquentes Sanctos Patres in libris suis audit Ecclesia ad traditionem firmam: Ne cogamur evertere traditionem Ecclesiasticam, quæ est unum ex præcipuis fundamentis Doctrinæ Catholicæ. Quidni igitur videt, & audit Ecclesia blasphemum Calvinum in suis Institutionibus, adeo ut nequeat Ecclesia desinere, & sensum libri, & sensum Calvinum, ut hæreticum, & impium infallibili iudicio? Nonne pariformiter Calvinum loquentem intelligimus in libro Institutionum, quas sacrilege scripsit?

Uterque itaque sensus, & libri, & Auctoris ab eodem corrupto fonte dimanat, & eandem pravitatem doctrinæ loquitur; estque unus, & idem sensus cum sacris paginis, cum traditione, & dogmate conferendus, ut cum illis pugnare percipiatur. Leges Grammaticæ, vel Criticæ artes potius interviunt ad Criterium libri, quam ad Criterium Auctoris; unde comperto sensu libri per artem, qua verba scripta pravam doctrinam aperire dignoscuntur, & hanc tum Catholicæ Dogmate pugnantem intelligimus, statim unico contextu reum Auctorem cognoscimus, dignamque ejusdem libro sensum censura juxta Maximi Aquilejensis Episcopi sententiam in Synodo Lateranensi sub Martino I. latam adversus Monothelitas fecerit. Ita namque Dominus ait, ex ore tuo iudicabo te, & ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Contra Theodorum & Origenem in Sancta V. Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodo eorum conscripta ad accusationem ipsorum, & reprehensionem sufficere voluerunt.

Hæc porro inferunt infallibile profus evadere iudicium, sive Romani Pontificis, sive Concilii Generalis super factio Dogmatico, vel sensum libri, vel sensum Auctoris, aut ab Auctore intentum, vel utrumque sensum comprehendente; ne asseramus aliam esse doctrinam in libro depreffam, & aliam esse doctrinam Auctoris in eodem libro loquentis: ex quo necessario prodiret, tum laudem, tum probrum, vel tantum percutere folium inane, quod vento rapitur, vel Scripturas, traditionemque sine Auctore spariari in Ecclesia, vel Populorum frustrari fidem, quum Ecclesia eos docet execrationem, & detestationem Ariti, Nestorii, Calvinii, Lutheri, aliorumque ejusdem furfuris Hæresiarum, quod est nimis absurdum.

Præterea admittit distinctiuncula, quod in factio dogmatico jus, nempe doctrina, subsici possit infallibilitati iudicii, neutiquam factum, nempe sensus Auctoris, aut sensus ab Auctore intentus, liberum hæreticis fieret a lato iudicio resilire, & apologias impune pro Hæresiarum contemneret in Fidelium perniciem: Quemadmodum post Concilium Nicænum conati sunt pro impiissimo Ario, Eusebio, & Theognis, ut alibi adnotavi (1). Ita plane censui, quum nonnullæ propositiones audite sunt, vel rejici, vel probari a Romanis Pontificibus, quia callida Proponentium ars, vel sincera aliorum expositio alterutram exigebat sententiam, ut supra innui. (2) Et ubi de iudicio aliquorum Auctorum aliquam difficultatem excitari contingat, cautum quoque est apud Contraversarum agitantes, contendere quoque, nondum finali iudicio damnatum, proscriptumque fuisse Auctoris nomen: Neque proinde dicendum est, cur errasse, aut errare potuisse Romanos Pontifices, vel Generalia Concilia.

Vigilium PP. hæc in factio dogmatico trium Capitulum, quum iudicium discretorium ageret, late in superioribus (3) differimus; sed aliquando errorem admisit in iudicio decretorio, ut admittere potuisse, nemo dixerit Catholicus; quidquid haud digesta quæstione nonnulli male distinguentes inter factum simplex, & factum mixtum cum iure, protulerint. Etenim semel dato, quod Ecclesia possit errare in factio dogmatico, non est cur negetur etiam potuisse errare in factio Janseniano: de quo prodigio falsitatis, quis non videat, quæ opinionum monstra nascuntur? Cum Magno Leone (4) ingeminabo. Quod si nonnunquam contineat Ecclesia proferbere liberos, parcendo Auctorem nomini, ut contigit Theodorico Cyrensi, Iba Edesseno, Jansenio Iprelli, & aliis quampluribus, hoc ideo est, quia compertum fuit, primos dixisse Anathema Nestorio in Concilio Chalcedonensi, quem prius defenderant; postremum subiecisse iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ omnia per ipsum scripta. Qui usus parcendi Auctorem nomini adhuc viger, maxime quum de eorum perniciam nullum scæter argumentum. Videantur dicta differ. 2. Sequent. §. V. & de his factis.

Cætera prætermitto. Exempla quippe Sacramentorum, quæ interpretationem Theologorum admittunt, circa intentionem, aliisque circumstantias in eorum valido usu, quas necessarias simpliciter exigunt, non docent, ad circumferendam limitibus Dignitatem, Auctoritatemque Romani Pontificis. Is prævit traditio Patrum, & Ecclesiæ: Huic adversus traditionem, & Ecclesiæ morosa dumtaxat consuetudo incumbit; Meminerit tandem censurarum spicula infra sub oculos collecta (5), quæ jecit, & facit ferme tota Ecclesia; & interim cum Magno Leone (6) conclamabo Præstabit, ut credimus, misericordia Dei, ut absque cuiusque Animæ detrimentum, possint adversum Diaboli dolos, & sana defendi, & vulnerata curari.

§. XXXVI.

Postremum notitium Anonymi Scriptori pro veritate subsicitur.

Veritas, quæ suo nitet splendore, non indiget Scriptorem opinantium conjecturis, quando per se se nitide fluit ex Evangelico Textu, Patrumque perenni traditione, præterquam quidquid innovat, perinde est umbris, & nebulis suffundi potius, quam splendidus conspici. Ita plane contingit, quum Papa infallibilitatem pugnantibus opinionum placitis quis contendit statueret; inde cogitur illam, vel penitus evertere, vel immoderate ad incitas reducere, positus terminis, quibus circumferri in animo est.

Auctor Opusculi, cujus in Epigraphæ legitur: De Romano Pontifice fallere, & falli nescio, conscripsit pag. 31. infallibilitatem in fide datam esse Petro, & Ecclesiæ simul. Mox fatetur pag. 9. haud ægre concedere posse esse Pontificem errantem quin Apostolica sedes, seu Ecclesiæ Romanæ in errore necessario consocietur. Ubi primo nervose evicit errorem dicentis Papæ in universam Ecclesiam perniciem diffusuram, pag. 6. Postea ex lapsu Papæ non infici Ecclesiam Romanam, aut sedem Apostolicam statuit. Deinde cap. 4. pag. 18. vult Petrum datum esse a Christo, ut Caput, Pastorem, & Doctorem Universæ Ecclesiæ:

§. XXXVII.

Auctoritates per Anonymum allata penitus ponderantur.

siæ: & mox excipit Ecclesiam Romanam intra ambitum Urbis conclusam, de qua prædicat pag. 9. quod ipsamet sit Romana Ecclesia docens, iudicans, & pronuncians. Ergo Ecclesia hæc pro universalis Ecclesiæ privilegio infallibilitatis, & Universalis Doctores gaudet, incapax errore Papæ infici, quod universalis Ecclesiæ minime conceditur, & si simul cum Petro infallibilitate donata asseratur. Hic recolenda sunt, quæ diximus in superioribus Paragaphis 6. 7. 8. 9. 27. & 28. ubi diffuse explicatum est, quomodo a Patribus, Romanisque Pontificibus acclamatum est Ecclesiæ Romanæ ut ab errore immuni.

Ad hæc: si Ecclesia hæc Romana simul cum Papa est ipsa docens, atque definiens, coarctat procul dubio Pontificiam infallibilitatem, illique eam asserit, vel mutuum cum Papa eam constituit, ac complet per modum unius principii in genere causæ efficientis, ut per se patet. Quomodo il negat Anonymus pag. 47. conceptis verbis, dicens: Quamquam Ecclesiæ Romanæ assensum necessarium dixerim, assensum tamen illum, non originem, non causam effectivam infallibilitatis Pontificis dixi? Ecce intentio in Ministro non est dicenda effectiva causa Sacramenti, si ipsa est veluti forma, unde constituitur Minister in actu causa Sacramenti? Etenim licet per characterem institutus sit potens ad Sacramenta conficienda, ut tamen ea actu conficiat, per intentionem format, ne mimo iudicari videatur similis.

Idem vestigiis insistent Anonymus §. 3. pag. 15. & §. 5. pag. 37. nimia sollicitudine urget, Cardinales, Consiliarios Pontificis dici, & Coniudices Orbis, ex quorum assensu universam regit Papa Ecclesiam, ac si a Christo infallibilitatis dono fuerint insigniti, ut in ipsis, & per ipsos sit Ecclesiæ Romana docens, definiens, ac pronuncians. Verum ubi sunt periti illi, ac sapientes, sive mirati, sive non, qui pag. 18. ad consultationem vocandi sunt, in consilio iudicium ferre debeant, ipsamque Ecclesiam Romanam pronuntiantem institueret? Cur & ipsi Coniudices orbis, & Papæ Consiliarii pag. 15. non vocantur? Nonne, & ipsi consilium, assensumque dare ex formula adstringuntur?

Judex quilibet se dicit pro Tribunali sedentem quum sententiam profert. Tribunal habet notarium, & fisci Advocatum in Criminalibus saltem, & in civilibus disceptationibus habet clientem, consulentes, & hujusmodi. De peritorum consilio Judex pronunciat sententiam subscribens. Ego pronuntiare: Dicit nunc Anonymus, si festo pro Tribunali, si Tribunal, si Notarius apprima in causa finiendi necessarius, si consulentes, qui ut plurimum in libris loquuntur, ac Judicem docent, est vita functi, si Clientes, si Assidentes studio, habitus sunt unquam, & habeantur, ut consules in causa? Nemo erit Hominum, qui Modestinum, Labeonem, Ulpianum, aliosque legum cogitores nec non codices consulentium, & repetentium cogat ad constituendum iudicem docentem, & a simul pronuntiantem.

Quid tum, si ad circumferendam Pontificiam infallibilitatem etiam Paradoxa fingere placeret? Sed quomodo præter omnes regulas statuendum est, per paucos Theologos, per paucos Cardinales constari Ecclesiam Romanam una cum Papa pronuntiantem de fide, & eam infallibilitatem Petro donatam a Christo profus deleri, nisi cum Theologo, nisi cum Cardinali, nisi cum Consulente, aut Mirrato, aut non Mirrato Papa ut docens, & de fide pronuncians? Superi adnotote.

Sary Tom. V.

Perfensit periculum hærendi in aqua Anonymus desitutus præsidio opinantium Scriptorum, circa iudicium Romanæ Ecclesiæ una cum Papa, idcirco in aliam viam dilabatur, (1) in nonnullos faventes sibi conciliare conatur, quum dicant, consultationem esse medium, vel conditionem, sine qua adpromissa gratia infallibilitatis in definitione de fide non aderit. Clavus Clavum detrudit: Ita recens opinatio præcedentem de iudicio Romanæ Ecclesiæ expellit. De hac iterum ultra prædicta in mox præcedentibus Paragaphis 32. & 33. nonnulla contemere placet.

Primo inter citatos (2) ab Anonymo Doctores, expungendus est a Catalogo Melchior Cano, quem in superiori §. 34. perspicue vindicavi ab impactu novellæ opinionis præsidio. Item expungendus est Jo. Vigerius, qui, ut dicitur pag. 14. infallibilem censet Pontificem, quando observatum in Conciliis Apostolorum, videlicet, quum vocat Concilia Episcoporum. Aliter, vel cogetur Anonymus omnia Decreta, & Bullas Dogmaticas extra Concilia latus circumscribere, atque delere: Vel censorem habeat Augustinum Pelagianos fugillantem: (3) Quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas, necessitas talis extiterit. Mirandum sane est, quod hujusmodi præsidia congerantur, quæ destruant Auctoris intentum.

Expungendus quoque est Silvester Prieras, qui dicitur pag. 22. liberum relinquit Pontificis arbitrio adhibere, vel Galerios, vel Miratos alii dantes, adeoque non coheret Auctori, neque Anonymo, qui omnino Eminentissimos Cardinales assumendos esse arbitrantur, ut in locis superius citatis discrete constat. Imo expungendus est & ipse Anonymus, qui pag. 26. ex Silvestro errantem Anastasium secundum tradidit, ut pote inconsultus communicasset Acacio, quia hanc ut puram putam fabellam rejiciunt, Baronius, Natalis, Pagi, alique eruditi, sicut & quod divino nutu percussus obierit.

Expungatur Cardinalis Albicinus, qui loco citato Anonymum pag. 13. diserte n. 24. cum Melchioro Cano pronunciat: Neque oportet esse sollicitum, an summus Pontifex debitam diligentiam adhibuerit, & consulat rem cum Peritis... maxime enim spectat ad Divinam Providentiam... ut non permittat omitti examina, & diligentias debitas. Quas si ipse Pontifex per se se præstare valuerit, nil ultra perit de necessitate Albicini. Expungatur Cardinalis Bellarminus citatus pag. 12. quia referens aliorum opinionem dicit, illos censere Pontificem debere facere, quod in se est, consulendo viros doctos, & peritos: verum statim subdit, procul dubio non posse Pontificem temere definire, quia qui promittit finem, tenetur, & media promittere, ergo consentit iudicium finiri, sive per consultationem, sive propria ipsius Pontificis diligentia, juxta doctrinam Magistri Cano jam superius discussam. Expungatur Cardinalis a Tursecrata cit. pag. 19. qui præcise loquitur, prout ordinarii moris est, ut explicent illa verba: Et maxime Consilii, quod in hujusmodi arduis materiis, quæ fidem tangunt cum Cardinalibus, & aliis doctis Patribus Romanis.

(1) Sup. §. 25. (2) §. 14. (3) Sup. §. 14. (4) Epist. 25. ad Jul. Coonf. (5) In append. c. 8. & 17. (6) Epist. cit. ad Jul.

(1) Cap. 4. pag. 17. & 42. (2) pag. 42. n. 4. (3) l. 4. ad Bonif. c. 12.